



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1708

Dubium. VI. Quo tempore præscribantur jura spiritualia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73001)

rabilis Augustæ domo aliquid acceperint, hæc statuit, quæ in fiscalibus alienationibus præfata Zenoniana constitutione continentur.

2448. Circa istam dispositionem not. illam procedere de *fisco seculari*; nam quoad bona adversus *fiscum* etiam Ecclesiæ inferioris non procedit præscriptio, nisi quadragenaria, licet ei necdum incorporata sint, cum hoc universim procedat de actionibus *religioso loco* competentibus, ex c. 2. *h. t. in 6.* Jam autem loquendo de *fisco seculari*; not. 2. contra hunc, bona illi necdum denunciata, & ab alio bona fide possessa cum titulo, præscribi eo tempore, quo alia bona privatorum L. 18. *ff. de usufructu.*

2449. Not. 3. cum dicitur, quod Dominus, aut Creditor non possit Emptorem convenire, sed debeat *Fiscum*, in rebus ab hoc emptis, intelligendum, ubi agitur de proprietate, vel hypotheca rerum emptarum à *fisco*; aliud enim est in emptore hereditatis, L. 41. *ff. de jure fisci*, ubi dicitur, quod talis debeat actionem, quæ contra defunctum competeat, excipere. Not. 4. contra actionem *fisco* competentem propter non solum vectigal, præscribi quinquennio L. 2. *C. de Vectigal. & commissis*; exceptionem autem pecuniæ non numeratæ, nunc *biennio*; *insit. de lit. obligat.*

DUBIUM. VI.

Quo tempore præscribantur jura spiritalia?

2450. **Q**uestio 1. est, quo tempore præscribatur contra *Beneficiatum*, cujus præbendam, seu beneficium alius possidet? Resp. cum titulo, & bona fide præscribi decennio inter præsentem; vicennio inter absentes, *de jure communi*, nimirum sicut privatorum aliorum bona immobilia, de quibus n. 2421. dixi, *de jure communi*; qualiter autem id fieri possit præscriptione triennali, speciali dispositione regulæ 33. Cancellariæ, expositum est à n. 2408.

2451. **Q**uestio est. 2. quo tempore præscribatur jus eligendi? v. g. Episcopum ad Ecclesiam Cathedralē, &c. Resp. di-

stinguendum, an, si Glericus extraneus sit præscribens, & agat de præscriptione juris eligendi, exclusis aliis, quibus id jure communi competit? an tantum cœligendi, nimirum cumulativè, cum illis concurrente? in primo, cum jus commune præscribenti hoc casu resistat, requiritur cum titulo colorato (v. g. Privilegii Apostolici) præscriptio quadragenaria; sine titulo, immemorialis, per c. 1. *h. t. in 6.* in secundo autem sufficiunt 40. anni sine alio titulo, modò probetur scientia, & patientia domini; nam hic titulus in juribus incorporalibus sufficit, ut notat gloss. in c. *cum Ecclesia*, de causa possess. V. *Brevitatem temporis*; nam in hoc casu præscribenti non resistit jus commune.

Questio est. 3. quanto tempore jus patronatus præscribatur? Resp. distinguendum, an agamus de præscriptione contra Patronum? an, contra Ecclesiam, ut, quæ fuit libera, evadat patronata? In. 1. sufficit præscriptio temporis ordinarii; sic Molina D. 70. & 75. *Less. l. 2. c. 6. D. 10. n. 3.* Layman. l. 3. *Summa, sect. 5. tr. 1. c. 8.* quia, si res rectè attendatur, in hac præscriptione non Ecclesiæ, sed privato, qui patronatum præterdit, præjudicatur. Ecclesiæ namque parum refert, hunc vel illum habere patronum; & fortè, qui possedit, utilior erit, quàm is, qui præterdit, minorque variatio evenit, si possidens in jure patronatus conservetur, quàm si eo dejecto alius tertius admittatur. Magis enim interest Ecclesiæ, ne absque ejus consensu novus fundatarius, aut emphyteuta mutetur, & tamen tempore ordinario diximus posse feudum, aut emphyteusim Ecclesiæ adversus privatum præscribi; ergo à fortiori poterit jus patronatus. Adversus Ecclesiam autem non præscribitur nisi quadragenario cum titulo, vel tempore memoriam hominum excedente, quia jus resistit huic servituti. Sed hoc spectato jure antiquo intelligendum est, nam juxta *Trident. sess. 25. c. 9. de reform.* omnis patronatus exclusus est, qui non fuerit ex fundatione, vel dotatione Ecclesiæ, & ex authentico documento, & aliis jure requisitis ostendatur; de quo ex professo agimus l. 5. *tit. 38.*

